

Dividitur jurisdictio *ecclesiastica*, ratione amplitudinis suae, in jurisdictionem externi et interni fori.

Jurisdictio *fori externi* ea est, quae immediate ordinatur ad publicum societatis christianae regimen; *fori interni*, quae immediate ad privatam cujuslibet fidelis utilitatem ordinatur. Haec utiliter subdistingui potest in jurisdictionem f. i. *poenitentialis* et jurisdictionem f. i. *extra-poenitentialis*. Prior in usum deduci nequit, nisi in ipso actu sacramentalis confessionis; posterior etiam extra confessionem sacramentalem exerceri potest, ex. gr. tollendo censuram vel dispensando in voto cum effectu qui tantum in f. i. obtineat. (Aichner, Comp. J. Eccl. § 24) De divisione jurisdictionis in ordinariam et delegatam, cfr. dicta Vol. I. n. 117.

§ 2. DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI EX ORDINARIA POTESTATE.

**325. I.** In triplici gradu ponuntur ordinarii ministri hujus sacramenti:

1° Summus Pontifex, qui jurisdictionem illam habet universalissimam quoad loca, personas et culpas, et quoad modum utendi illa vel per se immediate, vel per alios. Ad hunc gradum reducuntur ii qui excellentiori modo universalem hanc jurisdictionem participant, ut Magnus Poenitentiarius.

2° Episcopi, quorum munus intrinsece adnexam habet jurisdictionem fori interni super eos, quorum episcopi constituti sunt. Huc pertinent Vicarii Generales episcoporum. Generales vel Provinciales Ordinum religiosorum, etc.

3° Parochi, qui ex officio proximam curam et obligationem habent hoc sacramentum fidelibus sibi commissis ministrandi. Ad hunc gradum reducuntur praelati immediati Ordinum religiosorum et quicumque curam immediatam aliquarum animarum gerunt. (Suar. de Poenit. disp. 25. sect. 2)

**II.** Circa potestatem hanc ordinariam notanda sunt praecipue sequentia:

1° Haec incipit cum muneris possessione, et eadem cessante desinit.

2° Cum hujusmodi jurisdictio sit personalis, episcopus et parochus (vel simile munus gerentes) subditos suos ubique locorum absolvere possunt. Haec, teste Bened. XIV (Inst. 86. n. 7), est unanimis omnium sententia.

3° Parochi, saltem ubi non viget contraria consuetudo, neque episcopus expresse contradixit, possunt audire confessiones non tantum in paroecia sua, sed in tota dioecesi. Nam licet, in rigore juris, approbati sint tantum pro loco vel civitate in qua sita sit eorum paroecia, consue-

tudo fere ubique invaluit ut in universa dioecesi jurisdictionem obtineant. (Ball. P. n. 556)

4° Parochus probabiliter censendus est universaliter approbatus, ac proinde vocari potest a parochis alterius dioecesis ad audiendas confessiones ejus subditorum. (Lugo, disp. 21. n. 21; Viva, in prop. 16<sup>am</sup> damn. ab Alex. VII, n. 11; Ball. P. n. 559) Nam Trid. (Sess. 23. de ref. c. 15) nullam requirit approbationem pro iis qui beneficium parochiale obtinent. Aliis tamen, ut S. Alph. (n. 544), praeplacet sententia contraria: quia parochus minime approbatur ab Ecclesia universali, sed tantum a suo episcopo pro sola ejus dioecesi. Huic sententiae favet responsum S. C. C. 3 Dec. 1707, quod allegat S. Alph. (l. c.) In praxi raro locus est quaestioni, eo quod episcopus concedere solet parochis in finibus dioecesis commorantibus ut parochos vicinae dioecesis ad audiendas confessiones advocent. Cfr. n. 330, II.

§ 3. DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI EX DELEGATIONE.

**326. I.** Ut sacerdos quilibet, sive saecularis, sive regularis, jurisdictionem delegatam ad audiendas confessiones saecularium accipiat, necessarium est ut ab episcopo loci approbationem obtinuerit.

Necessitas ista inducta est a Conc. Trid. (Sess. 23. c. 15 de ref.), ideoque ex ejusdem verbis omnino determinanda est: "Decernit S. Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur et approbationem... obtineat." Scilicet ante Conc. Trid., spectata tantum sacramenti poenitentiae natura, poterat quilibet sacerdos excipere confessionem alieni subditi sub hac unica conditione, quod is licentiam a proprio sacerdote obtinisset. Trid. vero alteram conditionem *sine qua non* adjecit, nempe approbationem. Hinc licentia quae daretur a proprio sacerdote, ex. gr. parochi, ei qui non foret approbatus ab episcopo loci, concederetur ei qui jure incapax esset jurisdictionis recipiendae, ideoque inanis foret. Nihil innovavit Trid. de confessionibus Regularium: de quibus dicitur n. 337 seqq.

Approbatio est authentica declaratio quod persona aliqua instructa sit dotibus necessariis ad confessarii munus exercendum, et cui propterea a legitimo superiore conferri possit jurisdictio in foro sacramentali. Sunt autem hae dotes: ex parte intellectus, scientia necessaria ad audiendas confessiones et prudentia ad eam casibus particularibus applicandam; ex parte voluntatis, morum integritas qua confessarius congruenter tanto officio fungi possit. (Ball. P. n. 547)



II. Approbationem obtinendam esse ab episcopo loci in quo audiuntur confessiones, certo constat ex Constit. Innoc. XII (*Cum sicut*, 19 Apr. 1700) et Bened. XIV (*Apostolica Indulta*, 5 Aug. 1744), quibus declaratum est nullas fore confessiones institutas apud quemlibet confessarium saecularem vel regularem qui careret approbatione Ordinarii et episcopi dioecesiani loci in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones exquirunt, etiam ex privilegio eligendi confessarium quod ipsis per Bullam Cruciatæ vel Jubilæi concessum fuerit.

Itaque derelinquendae sunt opiniones plurimorum AA. antiquorum, quorum alii decretum Trid. de Ordinario sacerdotum, alii de Ordinario poenitentium intellegebant. Hinc etiam patet posse ab episcopo pro sua dioecesi approbari sacerdotem extraneum et relinquendam esse sententiam contrariam plurium, ex. gr. Bus. ap. S. Alph. (n. 550), utpote quae nitatur tantum antiquata opinione requirentium approbationem ab episcopo proprio sacerdotis. Tandem ex iisdem documentis constat eum qui facultatem mere delegatam habet ad confessiones audiendas, ex. gr. parochi adiutorem, non posse audire in alia dioecesi confessiones subditorum episcopi a quo facultates suas habet. Nam diserte edixit Innoc. XII (Const. cit.): nullas fore confessiones " etiamsi poenitentes, illorum Ordinariorum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent. „

Episcopo licet hanc facultatem approbandi delegare omnibus clericis. Hinc saepe concedit Vicariis foraneis vel Superioribus Regularibus ut possint approbationem et jurisdictionem conferre iis sacerdotibus qui obiter in dioecesi versantur, in alia autem jam approbati sunt. Quandoque etiam contingit ut laicis vel feminis concedatur facultas nominandi confessarios pro suis familiis vel subditis, ex. gr. Superiorissae pro monialibus suis. Haec tamen non est concessio jurisdictionis, cujus laici incapaces sunt, sed solum potestas ad designandam talem personam, cui jam designatae praelatus ecclesiasticus, qui facultatem dedit, confert jurisdictionem. (Suar. disp. 26. sect. 1)

Ex ipsis autem Trid. verbis planum est in episcopi arbitrio relinqui utrum approbandus sit examini subjiciendus, an sufficiat notitia quam episcopus de ejus scientia et moribus aliunde habeat, sive per se, sive per alium.

III. Necessaria est approbatio cunctis sacerdotibus, etiamsi Theologiae doctores vel professores sint, quemadmodum de Regularibus declaravit S. Pius V. (Const. *Romani Pontificis*, 8 Aug. 1571) Non decet tamen ut examinentur qui Moralem praelegerint. (S. Alph. n. 542)

Idem dicendum de parochi qui paroeciam dimisit: nam ex Trid. (l. c.)

aptus ad confessiones audiendas ille tantum est, qui beneficium parochiale actu obtinet. Ita declaravit S. C. C. (23 Maii 1585 et 16 Sept. 1613; Giraldi, Exp. Jur. Pont. p. 2. sect. 105) (1)

327. IV. Jurisdictionem ad audiendas confessiones delegare possunt quicumque habent ordinariam. (Vol. I. n. 119) Parochi tamen hodie vix possunt talem delegationem facere, nisi forte parochis alienae dioecesis: nam alium sacerdotem non reperient qui approbatus quidem sit ab episcopo, jurisdictione autem careat.

Qui delegatam habet jurisdictionem, non potest eam subdelegare alteri, cum diversa sit potestas utendi jurisdictione et eam delegandi. Excipitur tamen casus duplex: prior, si id ei fuisset ab Ordinario expresse concessum; posterior, si quis loco alterius, ex. gr. parochi absentis, exerceret munus quocum conecatur non solus usus, sed etiam delegatio jurisdictionis. Speciatim de facultate absolvendi a casibus reservatis, adverte eam regulariter non posse alteri subdelegari in casu particulari, eo quod solet concedi determinato sacerdoti ob specialem ejus peritiam vel probitatem; posset tamen ita subdelegari si talis facultas alicui concessa esset ratione officii, puta muneris parochialis. (S. Alph. n. 556)

V. Jurisdictio delegata incipit a momento quo ejus concessio authentice innotescit delegato et ab eodem acceptatur. Nec sufficit ut concessionis jam expeditae notitia privato intermedio ad delegatum perveniat. Idem enim hic valet quod de dispensationibus matrimonialibus respondit S. Inqu. 14 Aug. 1892 (Coll. P. F. n. 2192): invalidam fore dispensationem quam Ordinarius exsequeretur antequam accepisset documentum authenticum gratiae concessae, licet concessionis nuntium per telegraphum accepisset, " nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis. „ Cfr. dicta in re simili Vol. I. n. 586. Eadem jurisdictio cessat:

1º Revocatione facta a delegante ejusve successore. Cum autem practice simul revocari soleat et approbatio, notandum est quod de ejus revocatione communiter statuunt AA., nempe: approbationem, etiam

(1) Solent ab AA. poni de approbatione quaedam quaestiones quas hic omittemus, ex. gr. num episcopus possit limitare approbationem vel concessam revocare. Nam, cum in praxi hodierna semper cum approbatione concedatur jurisdictionis, satis erit eas quaestiones de ipsa jurisdictione solvere. De Regularibus tamen posset quandoque dubium practicum incidere ad solam approbationem spectans, eo quod ipsi, juxta communem sententiam, a Romano Pontifice jurisdictionem obtinent. Quare quae scitu utilia sunt de talibus dubiis, exponuntur § 6, ubi de jurisdictione Regularium.



illimitate concessam, semper valide revocari et, si justa adsit causa, etiam licite. Nam fieri potest ut qui iudicatus fuerit etiam illimitate idoneus, postea fiat ineptus, ob corruptos mores vel oblivionem doctrinae: quare episcopus non satis posset gregi suo prospicere, si non esset in ejus potestate talem confessarium a munere audiendi confessiones arcere. Plures quidem DD. ut Lugo (disp. 21. n. 64), satis probabile putant approbationem absque limitatione collatam invalide revocari sine causa, cum sententia injusta jus confessario e priore approbatione quaesitum auferre nequeat. Verum recte S. Alph. (n. 551) hanc sententiam vix in praxi probabilem censet, "quia injustitia revocationis deberet esse luce clarior et abesse quodcumque hallucinationis periculum; sed hoc vix accidere potest, cum innumerae possint esse causae justae apud episcopum revocandi approbationem, quae ignorentur a confessario."

2<sup>o</sup> Quando delegans moritur vel alia ratione ab officio removetur, sed tantum si delegatio facta est ad casum particularem, puta ad audiendam alicujus confessionem, et confessio nondum incepta est. Si autem (ut fere semper contingit) concessio generalis est, sive ad tempus, sive illimitata, probabilius non exspirat cum jurisdictione concedentis, sed durat donec a successore vel Vicario Capitulari confirmetur aut revocetur. Rationes sunt: praxis communiter recepta et quae sine magno incommodo mutari nequiret; concessionem jurisdictionis esse gratiam factam, cujus regula generalis est eam non finiri morte concedentis. (S. Alph. n. 559; Suar. disp. 26. sect. 3) Id ergo probabilius tenendum est quando jurisdictione concessa est *usque ad revocationem*, et etiam quando concessa est *ad beneplacitum nostrum*. Verum quidem est, juxta S. Alph. (n. 552) et communiorem sententiam, facultates concessas sub hac posteriore formula exspirare cum morte concedentis, quia per mortem desinit quodcumque ipsius beneplacitum. Attamen in pluribus locis, solent episcopi hanc formulam adhibere tamquam aequivalentem priori: *usque ad revocationem*, et ipsa S. C. Ep. et Reg., in responso dato 19 Jun. 1866, supponit facultates datas sub hac formula perdurare post episcopi mortem. (Ball. P. n. 577)

3<sup>o</sup> Lapsu temporis in concessione praefixi. Si tamen aliqua confessio, currente eodem tempore, coepta est, durat jurisdictione donec poenitens absolvatur.

**328. VI.** Liberum est fidelibus confiteri cuicumque sacerdoti ab Ordinario approbato, etiam tempore paschali. (n. 323) Libertatem hanc tollere nequit parochus, immo neque episcopus, cum oriatur ex universalis consuetudine vim legis habente. In hunc sensum edixit S. C. Ep. et Reg. (3 Apr. 1584): "Decretum episcopi in quo habetur quod nullus

confessarius, etiam ab Ordinario approbatus, possit tempore paschali confessiones audire sine licentia proprii curati, nullo modo est observandum, cum satis valide faciat poenitens, deferendo parochi fidem confessionis audita a persona approbata. „ (S. Alph. n. 564)

Si tamen confessiones in ecclesia parochiali audiantur, requiritur parochi licentia, eo quod istius ecclesiae regimen ad ipsum pertinet. Quae ratio similiter procedit de confessionibus audiendis in ecclesia vel sacello quod alius auctoritati subesset, puta Superiorissae monialium: nam rectus ordo pariter postulat ut nullae sacrae functiones in his locis Deo dicatis exercentur sine venia illius qui eis praeest. (Gury, II. n. 553)

**VII.** Sacerdos ad audiendas confessiones in aliquo loco approbatus (idem dic de parochi) potest valide et licite **absolvere peregrinos** ad se ex alia dioecesi accedentes.

Constat quoad Regulares ex Const. Clementis X (*Superna*, 21 Jul. 1670), in qua disertè declaratur: "Posse Regularem confessorem in ea dioecesi in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. „ Ad confessarios saeculares eadem facultas pertinet ob universalem consuetudinem.

Quodsi forte episcopus prohiberet quominus subditi sui extra dioecesim confiterentur, maneret certe valida confessio quam apud Regularem confessarium instituerent: siquidem iste habet jurisdictionem a R. P. quam episcopus auferre nequit. Confessionem quam iidem subditi apud confessarium saecularem facerent, multi invalidam putant: quia peregrini absolvi possunt tantum vi jurisdictionis quae detur ab episcopo cui subditi sunt, ac proinde, invito episcopo suo, invalide absolventur. Hanc sententiam videsis fuse propugnata apud Ball. P. (nn. 613-626) Sed probabilius etiam talis confessio valida foret. Nam hodie, ob consuetudinem quae universaliter invaluit, peregrini jam non videntur absolvi ex voluntate suorum episcoporum, sed ex voluntate R. P. qui, talem consuetudinem approbando, tribuit facultatem ut habeantur tamquam incolae loci in quo confitentur. (S. Alph. n. 588; D'Annib. III. n. 319. nota 9; Gury, II. n. 555; Buccer. Th. Mor. de Poenit. n. 121, etc.) Haec ergo libertas quae peregrinis, perinde ac vagis, conceditur eligendi quemcumque maluerint confessarium ex approbato ab Ordinario loci, nequit ipsis ab episcopis suis auferri. Neque inde sequitur hujusmodi peregrinos posse sibi eligere confessarium, praeter sui Superioris licentiam: quod Bonifacius VIII (6<sup>i</sup> Decr. l. 5. t. 10. c. 2)



edixit nulla posse consuetudine introduci. Nam in casu haberetur licentia R. P. quae certe sufficeret, ut in simili casu declaravit S. C. C. (3 Apr. 1584) Cfr. decretum supra (VI) allegatum.

**329. VIII.** Sacerdos nondum approbatus probabilius valide absolvit a peccatis mortalibus jam ante remissis et a venialibus. Nam antiquiores AA. (ut Lugo, disp. 18. sect. 3) testantur suo tempore talem usum communiter inter fideles viguisse et in hunc sensum communiter opinari Theologos. Modus verisimilior id explicandi est: jurisdictionem ad haec peccata remittenda simplici sacerdoti ab Ecclesia in ipsa ordinatione conferri.

Plerique tamen Theol. cum S. Alph. (n. 543) censent hanc praxim hodie illicitam esse ob decretum Innoc. XI, 12 Febr. 1679 (Denz. n. 1086): "Non permittant (episcopi) ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario. Haec tamen verba non directe talem usum prohibent ipsis sacerdotibus, ac propterea S. Alph. (l. c.) prohibitionem conatur eruere e clausula sequente: "Si parochi et confessarii, etiam Regulares, aut. quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant se Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse...". Sed cum in his verbis mentio fiat parochorum et confessariorum qui certe a venialibus absolvere possunt, videtur haec clausula potius referenda ad ea quae in eodem decreto de S. Communionem praescribentur. Certe usus universalis est ne jam venialium confessio fiat apud sacerdotem non approbatum. Immo, quamvis disertam prohibitionem deesse opinemur, libenter fatemur id minus laudabiliter fieri, postquam S. Sedes hanc praxim, utpote variis abusibus obnoxiam, ab Ordinariis prohibendam esse edixerit.

#### § 4. DE USU JURISDICTIONIS DUBIAE VEL FALSO EXISTIMATAE.

**330. I.** Sacerdos qui **mere negative dubitat** num habeat jurisdictionem, puta quia haeret anceps num elapsum sit tempus sibi ad jurisdictionem exercendam praefixum, num peccatum sit reservatum, etc., regulariter absolvere nequit: ne sacramentum nullitati, poenitentem damno spirituali exponat. Poterit tamen, si qua necessitas urgeat, ex. gr. quia poenitens diu non est confessus vel communicare debet. Etenim in necessitate constituto succurrendum est, quatenus fieri potest. (n. 116) Sed absolutioni quae in tali casu detur, addenda est expresse vel tacite conditio *si possum*, et poenitens monendus est ut idem peccatum iterum clavibus subjiciat. (Ball. P. n. 628 seqq.)

**II.** Sacerdos, qui **ob rationem vere probabilem** existimat se habere jurisdictionem, licite absolvere potest.

Ratio est: consuetudinem universalem habere ut confessarii circa jurisdictionis usum sequantur sententias mere probabiles; Ecclesiam vero, cui nota est ista consuetudo non posse permittere ut valor harum confessionum, qui ab ejus voluntate pendet, maneat dubius, cum magno animarum periculo vel detrimento. Igitur, si quando necesse erit, Ecclesia jurisdictionis defectum supplebit. Exempla probabilis jurisdictionis habes in simplici sacerdote a venialibus absolvente, in paroco audiente confessiones in alia dioecesi, (n. 325. II) etc.

Haec sententia communis est, ut fatetur S. Alph. (n. 573). Ipse tamen cum paucis opinatur non esse licitum usum jurisdictionis probabilis, nisi quando adest saltem causa rationabilis. Rationem affert: quia Ecclesia non praesumitur, nulla justa causa accedente velle connivere merae libertati sacerdotum. Sed haec ratio parum stringit: quia talis usus multo magis libertati et securitati poenitentium quam sacerdotum favet. Immerito etiam a S. Alph. (l. c.) tamquam praecipuus suae sententiae patronus allegatur Suarez, qui (disp. 26. sect. 6) per modum meri consilii adjicit limitationem quam S. Doctor tamquam obligationem ponit. Neque ipse S. Alph. secum constitit: ubi enim de absolutione casuum reservatorum agit (n. 600), censet licitam esse absolutionem dummodo probabile sit casum non esse reservatum, neque praesentem limitationem commemorat. (Ball. P. n. 631 seqq.)

**331. III.** Valet certo absolutio data a sacerdote qui **titulum coloratum** habet ad jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam. Vocatur autem coloratus titulus qui a legitimo Superiore collatus est ideoque communiter validus reputatur, sed occulto vitio laborat, ex. gr. quia sacerdos per occultam simoniam parochiam obtinuit, quia facultas audiendi confessiones concessa est sacerdoti excommunicato. Ratio asserti est: Ecclesiam ob bonum animarum suppleturam esse jurisdictionem, quemadmodum in Jure Romano (l. *Barbaricis* ff. de Offic. praetor.) de jurisdictione civili disponebatur. (S. Alph. n. 572)

Valet quoque probabiliter absolutio data a sacerdote qui titulo colorato non gaudet, sed communiter jurisdictione praeditus censetur, ex. gr. a paroco intruso, a sacerdote qui se confessarium fingit, a confessario cujus jurisdictio exspiravit, etc. Nam quando adest **error communis**, eadem ratio est existimandi Ecclesiam defectum suppleturam esse, siquidem aequè id postulat bonum commune ac si sacerdos haberet titulum coloratum. Hanc multorum sententiam S. Alph. (l. c.) merito probabilem censet, ac proinde non sunt repetendae confessiones apud talem sacerdotem peractae. Plures tamen, ut Busemb. (ap. S. Alph. l. c.),